

www.e-rara.ch

**Cornelii Valerii Ultraiectini In universam benedicendi [sic] rationem
tabula, summam artis rhetoricae complectens**

Valerius, Cornelius

Antverpiae, 1574

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RRM 233,2

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-35845>

De demonstratione rerum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tur. In exemplo quod modo posui, sic quæri potest: *Quis?* Horatius Cocles solus sustinuit. *Quid?* Totum hostium agmen. *Vbi?* in ponte sublicio. *Quando?* Bello Etrusco hostibus in urbem irrumpere conantibus. *Quomodo, & qua occasione?* Occupato primo pontis aditu, modò singulos prouocans, modò increpans omnes, impetum hostium retardauit, donec post tergum suum pontem vidit abruptum. *Quibus auxiliis?* Incredible sua tantum fortitudine, & indefatigabili pugna. *Quamobrem?* Ne totius imperij Romani fortuna semel vno momento corrueret. *Confutatio* rarò incidit, quòd certa, non ambigua laudentur. *Peroratio* breui enumeratione colligit insignia aliquot eius facinoris commoda: & affectus mouet, quos in demonstratione personæ diximus. A contrariis locis factorum vituperatio ducitur.

De demonstratione rerum.

IN demonstratione rerum, veluti virtutis, pacis, eloquentiæ, hystoria, &c. exordia tractantur, vt antè docuimus. Sæpe ducuntur ab insigni aliqua laude eius rei, de qua dicendum est. Non numquam omisso diligentiori exordio, propositio, quæ narrationis loco profertur, adhiberi per commendationem solet in hanc ferè sententiam: Nulli scriptores melius de rebus humanis meriti sunt, quam ij quorum studio res gesta superiorum sæculorum memoria prodita sunt. Huic partitio succedit. Confirmatio laudes refert. Argumenta laudum sumuntur ex locis, honesto, utili, iucundo, possibili, &c. Honestas antiquitatem, originem, inuentores, & rei dignitatem ac præstantiam complectitur. Huc loci dialectici referuntur,

Tractatio honestatis & utilitatis.

tur, *caussa efficientes, & ipsa rerum definitiones, ex quibus laudis ratio omnis ducitur: vt, si philosophiam laudans voces donum Dei. Vtilitas & vsus commoda rei profert, continetq; locos dialecticos, effecta, fines, officia, &c. Circumstantiarum hic quoque habenda ratio est: docebimus enim quibus, quando, vbi, cur vtile sit. Quando facilitas laudanda sit, aut contra difficultas, prudens orator considerabit.*

Confutatio iisdem quibus confirmatio locis vtitur, vt inhonesto, inutili, non necessario, iniucundo, periculoso, & cet. & qua ab aduersariis vel obiecta sunt, vel obiici poterant, diluit. Peroratio potissima colligit argumenta, & affectus mouet. Atque haec quidem laudationi proposita sunt. Vituperatio verò contrariis ex locis constat, quibus ostendendū est, rem inhonestam esse, inutilem, non necessariam, iniucundam, &c.

De locorum demonstratione.

Ad eundem ferè modum loca laudantur, vt regiones, flumina, fontes, vrbes, domus, agri, montes, aliāq; multa: etiam bestia quaedam, vt leo, equus, aquila, apes, aranea, &c. Regiones laudantur ab antiquitate & primis cultoribus, à principibus, ab amplitudine, situ, amœnitate, àeris clementia ac salubritate, à fluminibus, lacubus, mari, vrbium frequentia, celebritate, fertilitate, à frugibus, ab animalibus, à tuto itinere, à virtute bellica, humanitate, studiis, &c.

Laus vrbium.

Vrbes quoque laudantur ab antiquitate, origine, conditoribus, situ, munitioibus, à celi temperie & amœnitate, ab aquis, à domorum elegantia, vicorum latitudine & munditie, à variarum rerum copia, à principibus, reipub. legibus & institutis, religione & scholis, à populi frequentia, ab ingeniis & studiis, à fortitudine

rudine & vrbanitate, & cet. Flumina laudantur ab ortu, scaturigine copiosa, velocitate, colore, à piscinum generibus & multitudine, ab aliis fluuiis quos recipiunt, à locis quæ alluunt, à nauium frequentia, & aliis commoditatibus. Domus laudantur ab amplitudine, figura, materia, à situ & prospectu, ab orto, à puteo vel fonticulo, ab atrio, penetralibus, cubiculis, & cet. In agrorum commendatione spectari solent hæc: amœnitas loci, fertilitas, & vbertas frugum & fructuum, varietas pomorum, arborum & herbarum generâ, cultura, prædia, & cet. Montes laudantur à magnitudine, à radicibus, à miraculis, & prodigiis, & rebus memorabilibus, à fontibus, à frugum vbertate & copia. Dictio seu figura dicendi generis demonstratiui libera est, virtutem predicans & exornans: deliberatiui grauis ac prudens: iudicialis vehemens & concitata.

Laus fluminũ.

Laus domorũ.

Laus agrorum.

Laus montium.

Dictio generis demonstratiui, delib. & iud.

De genere deliberatiuo.

DELIBERATIONIS finis est vtilitas, eaq; cum honestate coniuncta, vel, vt Antonio apud Ciceronem & Quintiliano placet, dignitas. Ex tribus illis statibus, de quibus infra dicemus, an sit, quid sit, quale sit, duo serè in deliberationes incidunt, an sit, & quale sit; vt, sint ne discenda littera Græca. Et, sint ne honesta, vtilis, necessaria; & cet. Illud quoque spectari maximè solet, an fieri possit, & an fieri debeat, de quo deliberatur. Itemque an expediat, & vt expediat, an huic, hac ætate, hoc tempore, & cet. Exemplis hoc genus est potissimum illustrandum. Nam

Lib. ij. de Orat.
Lib. iij. cap. x.
Instit.